Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2325
Quelle:
Copyright:

Editores in *Germania* Proteſtantes, et primum quidem *M. Flacium Illyr.* inter *Varia doctor. piorumque Viror. Poemata*, *Baſil.* 1556. p. 240. 8. dein *Nathan. Chytraeum*, *Bremae* 1597. demum *Eilhard. Lubinum 1607. ſ. l.* 8. et pluries. Multa in his Editionibus variant; alias etiam Lectiones e fragmento *Mſ. Bibl. Helmſt.* dedit *Polyc. Leyſerus* in *Hiſt. Poet. et Poem. med. aevi* p. 413. neque ego ἀσυμβόλος deſtituam *Codicem*. Orditur ille a *Prologo* directo ad *Petrum Mauritium* dictum *Venerabilem* Abbatem *Cluniacenſ.* qui incipit: *Quod ad aures publicas ſiue ad multorum ora profertur* &c. Doluit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.* L. II. p. 233. Prologum hunc non fuiſſe deſcriptum ab *Oudino* e *Cod. S. Victoris Pariſ.* At cur deſcripſiſſet jam editum, non quidem a *Chytraeo* et *Lubino*, qui illum ignorarunt, ſed a *Flacio*, cujus editionem neque hos, neque *Fabricium* unquam vidiſſe oportet. *Flacianam* igitur editionem cum *Cod.* noſtro contendam. Fl. *correctione et accurato abſoluere iudicio.* Cod. *correctione accurandum*, *abſoluendum iudicio.* Fl. *Si non uero ſuperbum ſpirans.* Cod. omittit *non.* Fl. *in illis et ab illis.* Cod. *in illis et cum illis et ab illis.* Fl. *poſitionem ſtructuramque aemulari ac ſequi.* Cod. *poſitionem emulari, ſequi ſtructuram.* Fl. *liberalis mens ſemper uel animus.* Cod. *ſemper liberalis animus.* Fl. *utrumque placet et iucunda* &c. Cod. habet utrumque *Horatii* verſum: *Aut prodeſſe — dicere uite.* Fl. *digeſtum ediſcitur.* Cod. *edicitur.* Fl. *Quod fit, dum ſpecie.* Cod. *Quo fit, ut dum ſpecie.* Fl. *ad exercitationem.* Cod. *ad exhibitionem.* Fl. *qui ſolerter contemplatur.* Cod. *qui ſollicitus.* Fl. *Bona vox tua.* Cod. *Sonet uox tua.* Fl. *Aperi os tuum quod implevit.* Cod. *Aperi os tuum et ego adimplebo illud. Aperui ergo os meum quod impleuit.* Fl. *illam peccatricem.* Cod. *illam beatam peccatricem.* Fl. *hoc metro tantum colorauit uerſus.* Cod. *hoc metro quatuor tantum* &c. Fl. *quo uix illi pauciſſimos.* Cod. *quo illi paucos immo pauciſſimos.* Fl. *hæc etiam quia et de hoc apud uos* &c. Cod. *hoc etiam quia apud uos* &c. Fl. *materiam indixerim.* Cod. *indiderim.* Fl. *Deus pacis et diſcretionis.* Cod. *dilectionis.* Illa, quae melius legit *Flacius*, praetermitto; verum, cum ille contentus, quidquid potuit, in odium Cleri Romani corradere, parum de corrafis illuſtrandis laboraverit, addo, *Hildebertum de Lavardino* a *Bernardo* noſtro adpellatum, eſſe *Cenomanenſem* illum Epiſcopum et poſtea Archiep. *Turonenſem*, cujus anno 1139. defuncti Opera *Pariſiis* edidit 1708. f. *Antonius Beaugendre* O. S. B. De altero, quem pariter adpellat, *Wychardo Lugdun.* Canonico infra videbimus. Nunc ad ipſum Carmen, cujus *Liber* I. ſic orditur: